

*Scurrula* mea est diversissima a *Brownii*, et *Scurrula Brownii* est, ni fallor *Loranthus*.

*Cassyta* mea, ejusque flores vivi descripti sunt in India orientali ab Osbeckio, et facile concedam quod Plukentiana figura aliam indicaret speciem. Calyx tridentatus. Cor. tripartita. Nectarium ex filamentis tribus, subulatis, brevibus, apice glandularum pari instructis. Stamina 3. Sic Osbeck.

*Dalechampia* characterem habemus ab horto lugdb. Boerhavii, quaeso communices verum characterem, cum Boerhavana valde obscura sint.

*Hippocrateam* dicis esse triandram, at Millerus in Dictionario, quod nuper prodiit, et se vidisse flores asserit, statuit calycem esse quinquefidum, corollam monopetalam quinquefidam, staminibus 6, pistillo 1. Oro me doceas, quae vera sint.

*Zabucajo* videtur valde singularis esse generis.

*Fruticulus* *Dill. t. 123.* videtur esse speciosus frutex. Anne hic posset a Tuo nomine dici.

Quae narras de *Cucumere* *Plum. t. 23. 22.* duobus staminibus stupenda sunt. Sed istam 22 vidi ni fallor vivam, et staminibus ut in *Cucumere*.

*Besleria cristata* visa est mihi semper paradoxa, siccam non habeo

*Breynias* inter et *Capparides* vereor quod nulli limites in genere dantur.

*Visci arborei flos*, a Te missus, anne *Epidendrum*?

*Chondrilla* *Plum.* adeo singularis mihi semper visa, ut non potueram eam ad genus referre, nec dubitem novi generis esse.

Flos missus erat *Gentianae luteae*.

Si me beare velis vel plantis siccis v. seminibus, poteris facile vel ea tradere legato nostro apud vos commoranti, quem credo facile ea ad me mittat, vel etiam mittere ea ad vestrum legatum, Stockholmiae degentem, a quo mox acci-